

hujus conditionis meae; si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione percussit? Quid? si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum, si is, inquam, potuisset, aut quaestionem de morte P. Clodii ferre, aut ipsum ab inferis excitare, utrum putatis potius facturum fuisse? Etiam si propter amicitiam vellet illum ab inferis evocare, propter rempublicam non fecisset. Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolletis: et de ejus nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset. Hujus ergo interfector si esset; in confitendo ab iis poenam timeret, quos liberavisset? Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem, et memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, et magno animo, et libente se fecisse, libertatis omnium causa, quod ei certe non confitendum modo, verum etiam praedicandum.

XXX. Etenim, si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? nisi vero gratus putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis defensorem fuisse, cum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores adsequeretur amplissimos. Si factum vobis non probaretur, (quamquam qui poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratus, quam laetari ceteros, lugere eum solum,